

borantem in castris nouerat : Equitem turpi meretricis amore pereuntem, peditem parum spectatæ in Romanos fidei, vtriusque potius morbo consulere, quam alterius vel amborum opera carere statuit. Equitem igitur occulto permittens comparare scortulum quod ardebat, peditem verò non modò non suspicionibus aggrauans, sed eximiis insuper laudibus atque honoribus pro concione concelebrans, in vtroque quod optabat consecutus est : In primo quidem vt voti compos expeditissimus ac promptissimus, in omne discrimen esset, nec immeritò dici possit, is demum militaris disciplinæ rigor vtilissimus, tantisper de rigore amississe. In secundo autem Philosophici consilij effectum, fœlicissimè nactus est, seruum enim bonum & fidelem, non solum quia credidisset, sed quia vel credere simulasset effecit.

PUBLIVS VILLIVS.

SI tamen in omni re, supremum vicisse summa est gloria, quis Publio Villio præferendus, qui ingenio scellit Hannibalem? Ad Antiochum Syriæ regē bello victus Hannibal confugerat, eratque apud eum honorificētissimè particeps cō-